



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Imitatione Christi**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiae, 1607**

Quòd homo non sit nimis deiectus, quando in aliquos labitur defectus. 57

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](#)

gnabit pro nobis. Sequamur viriliter,  
nemo metuat terrores ; simus parati  
mori fortiter in bello , nec inferamus  
crimen gloriæ nostræ , vt fugiamus à  
cruce .

## C A P. L V I I.

*Quòd homo non fit nimis deiectus , quando  
in aliquos labitur defectus.*

1 **F**ili,† magis placent mihi patientia Domi-  
& humilitas in aduersis , quām nus.  
multa consolatio & deuotio ir. prospe-  
ris. Ut quid te contrastat , paruum fa-  
ctum contra te dictum ? Si amplius  
fuisset, commoueri non debuisses. Sed  
nunc permitte transire : non est pri-  
mum, nec nouum , nec vltimum erit,  
si diu vixeris . Satis virilis es, quamdiu  
nil obuiat aduersi : Benè etiam cōsulis,  
& alios nosti roborare verbis : sed cūm  
ad ianuam tuam venit repentina tri-  
bulatio , deficis consilio & robore. At-  
tende magnam fragilitatem tuā, quām  
sapius experiris\* in modicis obiectis:  
tamen pro salute tua ista fiunt, cūm  
hæc & similia contingunt.

2 Pone, vt melius nosti ex corde : &  
si te tetigit, non tamen deiiciat,nec diu  
impli-

implicet. Ad minus sustine patienter,  
si non potes gaudenter. Etiam si minus  
liberer audis, & indignationem sentis:  
reprime te, nec patiaris aliquid inordi-  
natum ex ore tuo exire, vnde paruuli  
scandalizentur. Citò cōquiescet com-  
motio excitata, & dolor internus reuer-  
tente dulcorabitur gratia.

*Ps. 49.* Adhuc viuo  
ego (dicit Dominus) iuuare te paratus,  
& solito amplius consolari; si confusus  
fueris mihi, & deuotè inuocaueris.

3 Animæquior esto, & ad maiorem  
sustinentiam accingere. Non est totum  
frustratum, si te s̄ampius percipis tribu-  
latum, vel grauiter tentatum. Homo  
es, & non Deus: caro es, non angelus.

*Genes. 3.* Quomodo tu posses semper in eodem  
statu virtutis permanere, quando hoc  
defuit angelo in cælo, & primo homini  
in paradiso? Ego sum, qui mærentes  
erigo sospitate: & suam cognoscentes  
infirmitatem, ad meam prouehō diui-  
nitatem.

*Terius. Ps. 118.* \* Domine, benedictum sit verbum

tuum, dulce super mel & fauum, ori  
meo. Quid facerem in tantis tribula-  
tionibus & angustiis meis, nisi me  
confortares tuis sanctis sermonibus?

Dum

Dummodo tandem ad portum salutis  
perueniam , quid curæ est , quæ &  
quanta passus fuero? Da finem bonum:  
da felicem ex hoc mundo transitum.  
Memeto mei Deus meus , & dirige me  
recto itinere, in regnum tuum. Amen.

## C A P. L V I I I .

*De altioribus rebus , & occultis iudiciis Dei ,  
non scrutandis .*

¶ **F**ili,† caueas disputare de altis ma- Domi-  
teriis, & de occultis Dei iudiciis; nus.  
eur iste sic relinquitur , & ille ad tan-  
tam gratiam assumitur . Cur etiam iste  
tantum affligitur , & ille tam eximiè  
exaltatur . Ista omnem humanam fa-  
cultatem excedunt : nec ad inuestigan-  
dum iudicium diuinum, vlla ratio pre-  
ualet, vel disputatio . Quando ergo hęc  
tibi suggerit inimicus, vel etiam quidā  
curiosi inquirunt homines , responde  
illud Prophetæ : Iustus es Domine , & *Pf. 11. 8.*  
rectum iudiciū tuum. Et illud: Iudicia *Psal. 13.*  
Domini vera , iustificata in semetipsa.  
Iudicia mea metuenda sunt , non dis-  
cutienda , quia humano intellectui  
sunt incomprehensibilia.

2. Noli